Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quam diligere responderent, nec ex animo mentientes, sed errando potius opi
nantes. Quomodo enim diligerent patrem veritatis, qui haberent odio veri
tatem? Nolunt enim sua facta dampnari, et hoc habet veritas ut talia facta
dampnet. Tantum ergo oderunt veritatem, quantum oderunt suas penas quas talibus irro
gat veritas. Nesciunt autem illam esse veritatem, quae tales quales ipsi sunt dampnat.
Oderunt ergo quam nesciunt, et cum illam oderunt, profecto et eum de quo nata est non odisse
non possunt. Ac per hoc quia veritatem qua iudicante dampnantur de patre deo na
tam nesciunt, utique etiam ipsum et nesciunt et oderunt. O miseros homines, qui cum
esse volunt mali, nolunt esse veritatem qua dampnantur mali. Nolunt enim eam
esse quod est, cum se ipsos debeant nolle esse quod sunt, ut ipsa manente mutentur, ne
ipsa iudicante dampnentur. Sermo xci. de eo quod dicit: Si opera non fecissem
in eis quae nemo alius fecit peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et o
derunt et me et patrem meum, sed ut impleatur quod in lege eorum scriptum est, quia
8 DIXERAT DOMINUS: QUI ME odio habuerunt me gratis.
odit et patrem meum odit. Utique enim qui odit veritatem, necesse est
oderit et a quo veritas nata est. Unde quantum iam datum est locuti sumus. De
inde addidit, unde nunc nobis loquendum est: Si opera non fecissem in eis quae nemo alius
fecit peccatum non haberent, peccatum illud scilicet magnum de quo superius ait: Si non
venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Hoc est enim peccatum quod in
eum loquentem et operantem non crediderunt. Non enim nullum habebant peccatum ante
quam loqueretur eis et operaretur in eis, sed hoc peccatum quo in eum non crediderunt ideo sic
commemoratur, quia ipso peccato tenentur et cetera. Hoc enim si non haberent et in
eum crederent, dimitterentur et cetera. Sed quid est hoc quod cum dixisset: Si opera non fe
cissem in eis, mox addidit: quae nemo alius fecit? Nulla quippe in operibus Christi vi
dentur esse maiora quam suscitatio mortuorum, quod scimus etiam antiquos fecisse
prophetas. Fecit enim Helias, fecit Heliseus, et cum in hac carne viveret et cum in
suo monumento sepultus iaceret. Nam quidam portantes mortuum cum irruen
tibus hostibus eo refugissent eumque ibi posuissent, continuo resurrexit. Fecit
tamen aliqua Christus quae nemo alius fecit, quod v milia hominum de quinque panibus et qua
tuor milia de septem panibus pavit, quod super aquas ambulavit et Petro ut
hoc faceret praestitit, quod aquam mutavit in vinum, quod aperuit oculos
ceci nati, et alia multa quae commemorare longum est. Sed respondetur nobis
et alios fecisse quae ipse non fecit, et quae nemo alius fecit. Quis enim nisi Moyses Egypti
os plagis tot tantisque percussit, diviso mari populumque duxit, manna de
celo esurientibus impetravit, aquam de petra sitientibus fudit? Quis nisi Ihesus
Nave populo transituro Iordanis fluenta divisit, et currentem solem e
missa ad dominum oratione frenavit et fixit? Quis praeter Sanson propter suam sitim
maxilla mortui asini exundante satiatus est? Quis praeter Heliam curru
igneo in alta subvectus est? Quis praeter Heliseum quod paulo ante commemo